



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

[Text]

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

LAVDATIO

S. THOMÆ
AQUINATIS, EIVS-
QVE DOCTRINAE,

RELIGIOSAE ac communis Religiosæ
vitæ ori-
go.
vitæ statum à *Christo* Salua-
tore nostro institutum, & A-
postolis ab eodem præscri-
ptum fuisse, nemo sacrarum
litterarum vel mediocriter

peritus ignorat. Eam viuen-
di formulam à magistro suo acceptam Apo- Acto. 4.
stoli primæuæ Ecclesiæ tradiderunt; adeò vt
*multitudinis credentium esset cor vnum, & anima
vna; neque quisquam eorum, quæ possidebat, ali-
quid suum esse diceret, sed essent illis omnia com-
munia: vt in Actis Apostolorum disertè le-
gitur.*

Religiosum istud vitæ genus, aureo Con-
stantini Imperatoris æuo, *Antonius & Hilarion* Progres-
sus in Ac-
gypto.
mirificè auxerunt: quorum prior AEgy-
ptum, ac Thebaidem, posterior Palæstinam
ac Syriam, per se suosque asseclas monacho- Syria.
rum turmis impleuit. Floruit deinde magnus
ille *Basilius* Cæsareæ in Cappadocia Episco-
pus, qui Græciæ & Asiæ monachus primus Græcia.

Bb 5

vitæ

vitæ regulam præscripsit, quam hodieq; seruat Oriens vniuersus.

An. 398.
in Africa.

In Occidentali Ecclesia *Augustinus* an. circiter salutis trecētesimo nonagesimo octauo ordinem Clericorum Regularium instituit, & more Apostolico vitam cum eis cōmunem egit. Sexti deinde sæculi Christiani initio, monasticum suum institutum in Monte Casino *S. Benedictus* inchoauit, quod & Europam vniuersam mox occupauit. Post *Benedictum* *Odo Cluniacensium*, *Romualdus Camaldulensium*, *Bruno Carthusianorum*, *Robertus Cisterciensium*, *Norbertus Præmonstratensium*, alij aliarum legionum monasticarum auctores ac principes exstiterunt.

Italia, &
reliqua
Europa.

Prædicatorum origo.

Mendicantes inter Ordines primū ac præstantissimū *S. Dominicus* Calarogę in Vxamēsi diœcesi, nobilissima *Gusmanorū* apud Hispanos stirpe natus, excitauit. Qua quidē religiosissima Prædicatorū familia, rebus toto terrarū orbe contra Infideles, Iudæos, Mahumetanos, & Hæreticos fortiter gestis, nulla vnquā fuit illustrior. Ea namque vix nata, in Gallia *Valdensium*, & *Albigensium* Hæreses extirpauit; robustior facta, ex *Hispania* Mauros ac Saracenos pepulit; in *Italia* Manichæorum reliquias funditus excidit; in *Dania*, *Noruegia*, *Suecia*, *Liuania*, alijsque regionibus, ad Septentrionē sitis, Christianæ religionis pomeria longissimè protulit. Ex Europa in Asiā transiens, sacros Latinæ Ecclesiæ ritus in *Armenia*

Res gesta
in Euro-
pa.

Asia.

ma
An
in
Gu
ful
In
ap
lor
No
ba
du
No
ua
ca
S.
iu
cu
pa
de
da
pr
Q
nu
be
fi
fi
ni
pe

maiolem inuexit, vbi hodieq; Nexiuanensem Archiepiscopatu, cū opidis tredecim, medios inter Turcas ac Persas, feliciter moderatur.

In Africa *Aethiopiam*, regnum *Congianum*, *Guineam*, aliasque prouincias, & Oceani insulas Christo adiunxit: in extremam denique *Indiam* enauigans, Euangelicam doctrinam apud Antipodas & alio sole calentes populos, longè lateq; disseminauit. Ex Orbe Veteri in *Nouum* transuecta, vt Christi regnum apud barbaras illas gentes à se fundatum stabiliret, duas Academias celeberrimas, Mexicanam in Noua Hispania, & Limensem in regno Peruano excitauit.

Africa.

In Orbe Nouo.

Huius porrò sanctissimæ familiæ Dominicanæ nobilissimum germen ac decus exstitit *S. Thom. Aquinas*, Doctor verè Angelicus, cuius hodierno die festiua sacra celebramus. De cuius laudibus etsi satiùs foret filere, quàm pauca dicere; vt tamen pio vestro, Auditores, desiderio ex parte faciam satis, paucula quædam de eximijs eiusdè virtutibus, ac doctrina propemodum diuina in medium adferam. Quod dum pro ingenij ac dictionis meæ tenuitate facio, etiam atque etiam rogo, vt me benignè patienterque audiatis.

Antiquitatis Ecclesiasticæ scriptores notât, singulis penè regnis ac prouincijs splendidissima quædam sanctæ Nobilitatis sidera diuinitus illuxisse. Vt à Germania, Romani Imperij sede, ordiar, habuit ea *Carolus Mag-*

Principes
sãctitatis
opinione
clari.
In Ger-
mania.

num & Henricum Primum, Imperatores Christianæ Religionis studiosissimos; Hispania *Hermenegildo*, Leuigildi Visigothorum Regis filio & martyre, *Isidoro* & *Leandro* Episcopis regia stirpe natis; Gallia *Ludouico IX.* Rege sanctissimo, & *Eleazaro* Comite; Aquitania *Guilielmo* Duce, & post Eremita innocentissimo gloriatur. Hungaria *Stephanum I.* eiusque filium *Emericum*, & *Ladislaum* Reges, vitæ morumque integritate laudatissimos; Bohemia *Venceslaum*, Polonia *Casimirum*, *Casimiri* Regis filium, Sicilia *Ludouicum* Episcopum Tolosanum, Austria *Leopoldum* Marchionem, Mantua *Aloysium* Gonzagam prædicat.

Britânia. *Quin etiam toto diuisus ab orbe Britannus*
Haut paucos numerat Reges, quos Rector Olympi
Extulit, atque ardens euexit ad æthera
Virtus.

Primus ex ea gente Rex Christianus fuit *S. Lucius*, quem deinde secuti sunt *Edilbertus*, *Richardus*, *Osualdus*, *Eadmundus*, & *Eduardus* duo, omnes Romani Martyrologij tabulis adscripti.

Sed & frigidus Septemtrio, à quo malum omne Hæreseos nostrâ ætate profluxit, huius olim laudis ac gloriæ expers non fuit. Dania namque *Canutum*, Noruegia *Olaum*, Suecia *Ericum*, Reges ac martyres sanctissimos protulit.

Vt in Galliam Belgicam, vicinasque nobis prouincias transeamus, Aufrasia in cœlum laudibus effert *S. Sigebertum* Regem, Aufrasia, Burgūdia Belgica. Burgundia *Guntramnum* & *Sigismundum*, piissimos itidem Reges, Brabantia *Pipinum* Ducem, *Albertum* Cardinalem & Episcopum Leodiensem, Geldria *Megengosum* Comitem, Luxemburgensis prouincia *Petrum* Cardinalem, Flandria *Carolus* cognomento *Bonus*, Comitem & martyrem, Hannonia *Vincentium* Sonegiensem, eiusque filium *Landricum* Meldensem in Gallia Episcopum extollit.

Itaque ne suum regno Neapolitano defesset sanctæ Nobilitatis fidus, *Thomam Aquinatem* orbi dedit Deus, nobilissimo Aquini & Belicaftri Comitum genere feliciter natum.

Est autem natus in opido Belicastro, quod Episcopali dignitate, & Comitatus titulo honoratæque apud Calabros eminet, anno salutis millesimo ducentesimo vicesimo tertio, vt S. Thom. nascitur. An. 1223. *S. Antoninus* Archiepiscopus in Chronico tradit: quo tempore Albigenes in Gallia Hæretici recens exorti non solum concionibus ac scriptis, sed etiam armis impia sua commenta pertinaciter tuebantur, & quæ per Europam poterant, studiosè disseminabant. Nimirum vt *Simoni* olim mago *Simonem Petrum*, Apostolorum principem, *Ario Athanasium*, *Nestorio* *Cyillum Alexandrinum*, *Iouiniano*

niano & Vigilantio *Hieronymum*, Pelagio *Augustinum*, Tanchelino *Norbertum*, sic Albigen-
sibus veteres pleraq; sectas velut ab Orco re-
uocantibus *Thomã* Doctorem Angelicũ, mille
clypeis instructum, Deus Opt. Maxim. oppo-
suit. Hoc namq; diuinæ clementiæ proprium
ac perpetuum est, hæc altissima cælestis pro-
uidentiæ ratio, vt quando acerrimè à Sectarijs
Ecclesia orthodoxa oppugnatur, fortissimos
tunc excitet antagonistas ac defensores. Cu-
riosa antiquitas obseruauit, quo die Pelagius
in Britannia, publico damno, natus est; eodẽ
ipso die clarissimum Ecclesiæ lumen, *Augusti-
num*, summo Reipublicæ Christianæ com-
modo, in Africa emicuisse. Cũ Petrus Brui-
sius, & alter Petrus, cognomento Abailardus,
nouis suis opinionibus Galliã turbarent; *Pe-
trus Cluniacensis*, & *Bernardus Abbas Claræ Val-
lis*, in aciem prodeuntes, regno florentissimo
mox pacẽ reddiderũt. Cũ Belgicã nostrã A-
damitica ac Sacramentaria Tanchelini Heresis
infestaret, oportunè *Norbertus* candidi Ord.
Præmõstratensis auctor ac princeps aduenit,
vt pestẽ illã Antuerpiæ & alibi pullulantẽ, cũ
per se, tũ per sodales suos, velut in herba op-
primeret. Sic & nostro æuo impijs Lutheri,
Zuinglij, Caluini, Mënonis, aliorumq; He-
resiarcharũ conatibus atque insultibus fortis-
simam *Societatis Iesu* legionem, instar muri at
propugnaculi, cæleste Numen obiecit.
Igitur & *Thomas* Ecclesiæ diuinitus olim
datus

VVaffila.

datus est, vt Albigensium furorē susteret, conatus infringeret, causam deniq; iugularet.

Porro vix secundum ætatis suæ lustrum attigerat, cum ad Montem Cassinum, mag-

In montē
Cassino
educatur.

ni illius Benedicti, monachorum in Occidente patris, domicilio nobilem, à parentibus missus, illius loci monachis in disciplinam est traditus. Quod ne mirum cuiquam fortasse videatur, sciat, necesse est, celeberrimas olim scholas suis in monasterijs Benedictinos habuisse. Enimuerò maiores nostri litteras tradendi curam, iam inde à primis

Ecclesiæ temporibus, sacramento ordini de-

Vide sex-
tā Syno-
dū, quæ
fuit III.
Constan-
tinopoli-
tana.

mandandam esse censuerunt, quòd plurimum referre existimarent, si pueri pietatem cum litteris sensim instillatam auribus oculisq; imbiberent, apud viros Ecclesiasticos as-

Benedi-
ctini scho-
las ape-
riunt.

fiduè versantes. Primis itaque sæculis Benedictini in palæstra illa scholastica, magno & suo & Reipublicæ commodo, desudarunt: vnde & nationum omnium fauor, & opes illis immensæ accesserunt. Idem postea studium at-

Domini-
ciani.
a Lib. 1. c.
70.

que operam erudiendæ iuuentuti P P. Dominicanis impenderunt: vt a Ferdinandus Castel-

b In vita
B. Ignatij
l. 3. c. 24.

lius, & alij rerum à Dominicanis gestarum scriptores, b Petrus item Ribadineira in vita

Fratres
vitæ com-
munis.

B. Ignatij Ldiolæ commemorant.

Vide
Chronicō
nostrum.

Horum deinde vestigijs institerunt Fra-

tres vitæ communis, à Gerardo Magno Da-

uentriensi primùm instituti, & à Ioanne Ger-

sone

sone Cancellario Parisiensi contra obtrectatores strenuè defensi: qui Dauentriæ, Ultraiecti, Colonia, Aquisgrani, Vesaliæ, Leodij, Bruxellis, Siluæ-ducis, Gandau, Cameraci, & alibi florentissima gymnasia, ad nostram vsque ætatem, habuerunt.

Laudanda igitur *Societas Iesu*, quæ toto terrarum orbe, summo Reipublicæ Christianæ bono scholas aperit. Laudandi *Benedictini*, qui maiorum suorum æmulatione, Hierarchij & alibi in Hispania, Salisburgi in Germania, & Duaci in Flandria, disciplinas omnes profitentur. Laudandi PP. *Eremitæ Augustiniani*, qui magni illius Augustini parentis sui exemplo, apud Brabantos, Flandros, Eburones, & alibi iuuentutem optimis & moribus & litteris imbuunt. Laudandi denique *Patres Dominicani*, qui Salmantica, Compluti, & Vallisoleti in Hispania, Conimbricæ in Lusitania, Mexici & Limæ in Orbe Nouo, & alibi primarias Cathedras Theologicas velut hæreditarias cum laude possident, & ab humaniorum quoque litterarum professione apud Belgas non abhorrent. Rati nimirum, quod res est, si Ecclesiam, si saluam velimus esse Rempublicam, præcipuam & maximam iuuentuti curam esse impendendam. Quæ de caussa prudentissimè Concilij Tridentini Patres statuerunt, vt singulis in diocesibus seminaria, alendis atque erudiendis adolescentibus, excitarentur. Sed

Lira, Brantia & Ipris.

Sess. 23. can. 18.

Sed vt vnde digressa est, eò redeat oratio, in Monte Cassino cùm prima virtutum ac litterarum rudimenta à Benedictinis *Thomas* haussisset, quæ ad reliquum vitæ cursum sanctè innocenterque profequendum illi mirificè profuerunt, Neapolim adolescens se contulit. Qua in vrbe florebat id temporis magna doctrinæ ac sanctitatis opinione Patres è Dominicana familia non pauci, in his *Ioannes à Sancto Iuliano*, & *Thomas Agnus Lentinus*, qui Patriarcha Hierosolymitanus postea exstitit. Horum exèplo ac pijs monitis, vt fieri amat, adolescens motus, anno ætatis tertiodecimo Dominicanæ militiæ nomen dedit, matre, fratribus, sororibus, ac propinquis omnibus nequidquam indignantibus. *Adeò à teneris assuescere, multum est.*

S. Thom.
fuit Domi-
nicanus.

Virgil.

Sed heus versipellis & fraudulente dæmon, qui circuire soles, quærens quem deuores, dormis, an vigilas? *fœcundum concute pectus*, mille tibi nocendi artes, mille doli, mille fallaciarum modi.

Suadente itaque communi generis humani hoste, & procurantibus germanis fratribus sanctissimus adolescens in itinere à militibus Frederici II. Imperatoris vi abripitur, castro S. Ioannis includitur, biennio fere toto in arcta custodia detinetur, à matre, fratribus, ac sororibus variè exagitatur, procax demum meretricula ad labefactandam fortissimi animi constantiam à fratribus introducitur.

Custodiæ
mādatur.

C c

Tu

Tu contra quid agis, castissime adolescens! titutionem semiustum è foco arripis, impudens scortum abigis, & flexis ante signum Crucis genibus, Te tuaque omnia Deo eiusque matri Virgini dicas, consecras. Nec defuit clienti suo benignus Deus, qui lumbos Angelico tibi ministerio constrinxit, & perpetuae continentiae laurea te donauit, ut quae honoris locum inter Apostolos *Ioannes Euangelista*, eundem & Tu Doctores inter Ecclesiae obtineres.

Ceterum, agente Innocentio IV. Pontifice, post biennium dimissus è custodia Thomas, à B. *Ioanne Teutonico*, Ordinis Praedicatorum generali tunc Praefecto, primum Neapolim, inde Romam, post Lutetiam Parisiorum, ac demum Coloniam Agrippinam abducitur, *Magni illius Alberti*, Ratisponensis postea Episcopi, futurus auditor. Quo doctore tantos in studijs progressus fecit, ut magistri luminibus obstruens discipulus, non modò in Philosophicis, sed etiam in Theologicis, vniuersi orbis iudicio, ipsum longè superarit. Testantur id eruditissimi in *Aristotelicos Logicorum, Physicorum, Metaphysicorum, Ethicorum ac Politicorum* libros commentarij; testantur doctissimae in *Scripturam sacram*, & in Petrum Lombardum Parisiensem Episcopum (quem *Sententiarum Magistrum* nuncupant) elucubrationes; testatur *Summa contra Gentiles* accuratissimè conscripta; testatur denique *Summa*

Alberti
Magni fit
auditor
Coloniz.

Eius scri-
pta varia.

Summa
Theolo-
gica.

alce-

altera, quæ vniuersæ doctrinæ Theologicæ rationem mirabili quadam methodo complectitur, quæque expulso Sententiarum Magistro, in vniuersis penè Orbis Academijs meritò palmam nunc obtinet.

Quo quidem opere (mirum dictu) non vnus aut alterius, sed omnium sæculorum Hæreses, & natas & nascituras, velut ancipiti quodam gladio confecit ac iugulauit. Id luce meridiana vt clarius innotescat, singulorum, quæso, sæculorum Hæreses breuiter excutiamus.

Agmen ducant Hæreticorum primogeniti *Capharnaitæ*, quorum illa vox fuit incredula, *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Eodem sæculo Cherinthus, & Ebion, eius discipulus, Christum purum esse hominè ex Iosepho & Maria natū impiè docuerūt. E contra Thomas Christi diuinitatē, eiusq; realè in augustissimo Eucharistiæ Sacramèto præfetiā, si quis alius, fortissimè adseruit. Secuti deinde sūt *Nazaræi* Iudæorū fæces cum Christiana puritate confundentes.

Tertio sæculo *Manichæi* emerferunt, qui libero hominem arbitrio exuebant, & scelerum auctorem Deum faciebant; aliquantò minore tamen impietate, quàm Calviniani hodie faciant. Manichæi namque ficto quodam Deo, malorum omnium principio, omnem inuidiam in illum exonerabant, vt eam à Deo bonorum om-

Omnium
ætatum
hæretici
à S. Tho-
ma con-
futati.

Vide Sæ-
raph. Ca-
ponium
in Sum-
mam.

Caphar-
naitæ.

Ebionitè.

Nazaræi.

Mani-
chæi.

Calu-
niani.

nium fonte auerterent. *Caluiniani* verò inau-
dita quadam & se ipsam soluente impietate
ab eodem diuinitatis Oceano iustitiæ & ini-
quitate riuos manare contendunt. Hoc
Caluinus, hoc Beza apertè docuit, & in
magistrorum vestigijs discipulorum pluri-
mi pedem intrepidè figunt, vt Geneuenses
in Gallia, Heydelbergenfes & Marpurgen-
ses in Germania, *Puritani* in Britannia, & *Go-*
maristæ in vicina nobis Batauia. Resiliunt
alij, vt *Arminiani*, & in tam horrendo flagitio
fontem non tenent.

Puritati.
Gomari-
sta.
Arminia-
ni.

Manichæi item solos se diuina luce illustra-
tos prædicabant : vt *Caluiniani* hodie
solis sibi diuinum lumen affulisse glo-
riantur ; ceteris ad *Cimmerias* tene-
bras damnatis. *Manichæi* denique e-
lectos ac prædestinatos sese passim iactita-
bant: sic *Caluinianide* sua salute, per inanem
scilicet fidem securi vano *Prædestinatorum*
nomine triumphant. Quis verò ne-
scit, *Manichæos*, adeoque *Caluinianos*, non
in abdito cellulæ recessu tantùm, sed in ipsa
etiam mensa S. Ludouici Galliæ Regis à
Doctore nostro Angelico debellatos fuisse?

Conclu-
sum est
cōtra Ma-
nichæos.

Ariani,
Pelagia-
ni, & alij.

Manichæos exceperunt *Ariani*, *Macedoni-*
ani, *Nestoriani*, *Eutychiani*, *Pelagiani*, *Serui-*
tiani, & alij eius farinæ homines malè fe-
riati, qui tria fere sæcula suis erroribus scæda-
runt.

Septi-

Septimo sæculo Mahumetes, exitialis illa orbis terrarum pestis, sectam suam periculosissimam excitavit, *Sergio* Apostata velut pedagogo præeunte, qui inter alia docuit Deum malorum omnium, hoc est, culparum & pœnarum omnium auctorem esse; Christum cœli terræque conditorem propriè non esse nuncupandum; Deo Patri, qui vnus antonomasticè sit Deus, laudem illam esse tribuendam.

Mahumetani.

Sergiani.

Post *Sergium* Mahumetis magistrum Iconoclastæ in orbem prodierunt, qui Iudæorum ac Mahumetanorum impulsu sacras è templis imagines apud Græcos, Asiaticos, Arabes & alios Orientales populos exturbarunt. Et ne Occidentalis nostra Ecclesia à clade foret immunis, *Claudius Taurinensis* Sanctorum cultum abdicandum, pias item peregrinationes abrogandas esse censuit.

Iconoclastæ.

Clausius Taurinensis.

Photius.

Photius deinde Patriarcha Constantinopolitanus Græcis auctor pessimi schismatis fuit, quod in apertam postea dissensionem erupit: facta namque ab Ecclesia Romana secessione, Græci sæculis insequentibus Romani Pontificis primatum subvertere conati sunt, & Spiritum Sanctum à solo Patre procedere docuerunt. Et verò quis ignorat, Græcos ac Saracenos, non modò Summa illa, quam diximus, Theologica conscripta, sed peculiaribus etiam libris, qui in-

Græci schismatici.

ter Opuscula leguntur, à Doctore nostro validè confutatos fuisse atque conuictos?

Berengarius.

Venio ad Berengarij tempora, quem nostræ ætatis Hæretici, vt ducem & antesignanum suum meritò colunt ac venerantur. Is primùm augustissimo Sacramento veram corporis Christi præsentiam imple detraxit: quem errorem cùm postea reuocasset, docuit cum Christi corpore panem quoque subsistere: addidit demum, non paruulos, sed adultos tantùm esse baptizandos. Itaque primo illo suo errore *Zuinglianis, Calvinistis, & alijs Sacramentarijs, secundo Lutheranis, & tertio Anabaptistis* viam aperuit: & ne quid deesset, etiam cum demone familiariter est versatus, vt nostro æuo Lutherus, qui præcipua argumenta, quibus sacrosanctum altaris mysterium oppugnauit, tanto magistro fert accepta.

Caluinistarum, Lutheranorum & Anabaptistarum parens.

Albigenses, Hussitæ, & alij.

De *Valdensibus, Albigenibus, Fratricellis, Begardis, Flagellantibus, Hussitis, & alijs posteriorum sæculorum Nouatoribus* nihil opus est dicere, quòd ij superiorum fere ætatum Hæreses ab inferis reuocarint.

Bene scripsisti de me Thoma.

Quis verò nescit, summo animorum consensu, ab vniuersis omnium nationum Patribus, in Concilio cecumenico Tridentino confidentibus, illibatæ, & Christi oraculo comprobatæ Doctoris Angelici de SS. Eucharistia doctrinæ acclamatum fuisse, & nostrum

nostri omniumque superiorum sæculorum
Hæreses, iuxta eiusdem doctrinam, fuisse
condemnatas? Vt iure optimo Pius V. Pon-
tifex Maximus, eam ob causam, præcipuis
Ecclesiæ Doctoribus ipsum annumerandum
censuerit, eisdemque sacris honoribus, quos
Ambrosio, Hieronymo, Augustino & Gregorio Bo-
nifacius VIII. Papa decreuit, quotannis
hoc die condecorandum. Exstat ea de re di-
ploma anno millesimo quingentesimo sexa-
gesimo septimo solenniter datum ac publi-
catum.

Ceterum de *Gregorio Magno* Paulus Dia-
conus memorat, Spiritum sanctum, colum-
bæ specie, super dictantis vertice confiden-
tem non rarò se conspexisse. *Ioanni* Pa-
triarchè Constantinopolitano, cui aure-
um eloquentiæ flumen *Chrysostomi* nomen
peperit, Paulus Apostolus, quem ille mi-
rificè coluit, scribenti & concionanti mul-
ta dictasse traditur. Sic & Doctore nostro
Angelico Petrus & Paulus, Apostolorum
principes, studiorum quodammodo duces
ac magistri post Deum Opt. Max. exstiterunt.
Vnde & candidè profiteri solitum accepi-
mus, *Quidquid sciret, non tam studio aut la-
bore suo sibi peperisse, quam diuinitus traditum ac-
cepisse.*

S. Thom.
diuinitus
instrui-
tur.

Meritò itaque *Innocentius V.* Pontifex, vt
erat acerrimo iudicio præditus, huius viri
doctrinam diuinitus, vt dixi, acceptam tanti

Cc 4 fecit

fecit, vt post sacros & Canonicos codices primas illi tribuere non dubitarit. Meritò *Vrbani* itidem Pontifex eam ipsam doctrinam Tolosanæ Academiae Theologis impensè commendauit, vtque in suis de fide responsis eam potissimùm sequerentur, feuerè præcepit. Meritò vniuersæ Hispaniarum, Italiae, Germaniæ, Belgij, Indiarum, aliarumque prouinciarum Academiae, Petro Lombardo sententiarum Magistro seposito, Summam Thomisticam, velut Cynosuram quandam, sibi suisque auditoribus proponendam censuerunt.

At verò nos humiles clientes tui, magne *Thoma*, quibus Te laudibus in cælum effereamus? quibus encomijs celebrabimus?

Virgil.

*Non mihi si lingua centum sint, oraque centum,
Omnia virtutum comprehendere nomina possem.*

Ser. Ecce Innocentius V. Pontifex *Salomoni* Regum plusquã sapientissimo Te anteponat & præferat; *Salomon* Pius V. certissimam fidei regulam indiget, & *hic.* quintum Ecclesie Doctorem Te constituat; *Clemens VIII.* viuum diuinæ mentis interpretem nominet, *urbis & regni Neapolitani* protectorem designet; *Paulus V.* splendidissimum Catholice fidei athletam vocet; Ecclesia denique vniuersa doctorem Angelicum nuncupet: Ego peculiari ac supremo elogio Te *Malleum Hæreticorum & Vindicem veritatis* dixero. Ioannes uersa

*S. Thomas est
Malleus
Hæreticorum.*

XXII. Pontifex Articulos tuos Theologicos vt *miracula* suspiciat ac prædicet: mihi tua illa consummatæ doctrinæ Summa Theologica *Turris* sit *Dauidica*, ex qua mille contra hostes clypei dependent, sit *armatura fortium*, sit *murus* & *antemurale* contra vniuersas omnium ætatum Hæreses.

Ex alto itaque miserrimi sæculi nostri tenebras despice, & dissipa densissimam mille sectarum adeò dissectarum caliginem, quibus maior hodie, pro dolor, Europæ pars inuoluitur. Germaniam olim tibi caram, & Alberto Magno præeunte, tui in studijs altricem ac magistram, à Lutheranismò iam frigefcente atque adeò emoriente prorsus libera. Galliam, quam tuis olim publicis in Academia Parisiensi prælectionibus erudijsti, quamque sacri tui corporis, Tolosæ quiescentis, exuuijs donasti, ab impijs Caluini erroribus, abundè olim per Te confutatis, expurga. Belgicam nostrâ, tuis olim beatissimis pedibus calcatâ tuere & respice. Auulsas à nobis per hæresim prouincias ad veterem societatem, amorem ac religionem compelle. Tuis denique apud Deum precibus ac meritis effice, vt postliminiò redeat *Concordia Virtus*,

Cumque fide Pietas alta ceruice vegetur.

DIXI.

Ce 5

Cæ

Cesar Baronius Cardinalis, in Notis ad Martyrologium Romanum, 7. Martij.

S. Thomæ Aquinatis, Doctoris celeberrimi acta scripta fusiùs habentur à Dauide Romæo, Paulo Regio & Surio, tomo secundo. Plura S. Antoninus in 3. parte, tit. 23. cap. 7. & sequenti. Vix quisquam enarrare sufficeret, quot vir sanctissimus atque eruditissimus Theologorum præconijs celebretur, quantumque eius illibatæ doctrinæ à sanctis Patribus, in SS. œcumenico Tridentino Concilio confidentibus, fuerit acclamatum: iureque ob eam causam à sanctissimæ memoriæ Pio V. Romano Pontifice inter celebriores Doctores Ecclesiæ fuit adnumeratus, dum huius diei celebritatem ijsdem sacris solemnibus peragi voluit, quibus Bonifacius VIII. Papa Sanctorum quattuor Doctorum, Gregorij, Ambrosij, Augustini, & Hieronymi Festiuitates celebrandas constituit. Exstat de his sacrum diploma datum anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, tertio Idus Aprilis, Pontificatus eius an. secundo.

Hactenus Baronius.

IOAN-

*Ioannes Mariana, ex Soc. Iesu,
lib. 19. de Rebus Hispaniæ,*

cap. 8.

Magna eruditione *Paulus Carthagena* fuit, cognomento *Burgensis*, à patria, vnde ortum habuit, & vbi Episcopum egit, professione antea Iudæus, copijs, nobilitate, doctrinæ laude, in e agente facilè princeps. Is Diui Thomæ Aquinatis scripta de Theologia peruolutando, facilè intellexit, quantum Christiana Religio Iudaicæ superstitioni præstaret. Noster effectus, Religionis, quam suscepit, placita litteris illustrauit, librosque edidit in suo genere mirandos. Erat enim ingenio facili, copioso, perspicaci, & diuinarum litterarum cognitione præstabat. Treuigni Archidiaconus primùm, deinde Carthaginensis Præsul, postremò *Burgensis* creatus. Id probitatis eruditionisque præmiũ fuit. Addita consequentibus annis scrinij Regij Præfectura, perspectæ fidei argumẽto, quod rarum in ea gente est. Eiusque illa vox fuit (sic fama tulit) ex ea gente prognatis nullam Reipublicæ partem committendam videri, moribus ex fraude & mendacio compositis, simulare mentiri que natis, neque bello bonis, neque pace. Tres filios ex vnis nuptijs reliquit, priusquã noster esset, susceptos, *Alfonsũ*, qui ex Decano Segobiensi in defuncti patris locũ subrogatus *Burgensis* Episcop' fuit, cuius

Paulus
Burgensis
ex ludo fact' Christianus per lectionẽ Summæ D. Thomæ.

cuius exstat de Hispaniæ Regibus opus non
inelegans, cui Anacephaleosi nomen fecit;
Gonsaluum, virtutum merito Placentinum E-
piscopum, *Aluarum Garsiam*, familiæ propaga-
torem, sanguine, vti erant eius tempestatis
mores, cum nobilibus Hispaniæ familijs con-
fuso: cuius extant commentaria de rebus,
Ioanne secundo Castellæ Rege, gestis non
ineleganter conscripta. *Hactenus Maria-*
na.

Ceterùm Paulus Burgensis scripsit *Addi-*
tiones ad Possillam Nicolai Lirani, quæ exstant
cum Lirano, & seorsim editæ. Scripsit insu-
per *Scrutinium Scripturarum contra perfidiam*
Iudaorum, libris duobus in folio Parisijs ex-
cuscum. Floruit anno Christi 1429. quo Ad-
ditiones ad Liranum se absoluisse fatetur.
Est autem ex Rabbino eruditissimo factus
Christianus, per lectionem Primæ Secundæ
S. Thomæ, quæst. de Legibus; vt Stephanus
Garibaius in Historia Hispaniæ, & alij tra-
dunt.

Ex Alfonso Fernando in Concer-
tatione Prædicatoria Sal-
mantica anno 1618.
edita.

PATRES Dominici primarias Theologiæ
Cathedras moderantur in nobilissimis
His-

Hispaniarum & Indiarum Academijs, vt in *Salmanticensi*, *Vallisoletana*, *Complutensi*, *Comimbricensi*, *Ossunensi* circa an. 1531. fundata, *Compostellana*, *Toletana*, *Ouetensi* anno 1608. fundata, *Granatensi*, *Hispalensi*, *Biacensi*, *Valentina*, *Barcinonensi*, *Cæsaraugustana*, *Ilerdensi*, *Ossensi*, & *Tarraconensi* in Hispanijs, in *Mexicana* & *Limensi* in America, & alijs.

Ex Ferdinando à Castillo, lib. 2.

cap. 70. de scholis olim litterarijs PP. Dominicanorum.

FIoannes Vercellēsis, Ord. Prædicatorum sextus Magister generalis, in comitijs totius Ordinis statuit, vt religiosi fratres sui ordinis vbique designarentur, qui pueros instituerent ac docerent. Quod etiã in comitijs generalibus anno 1251. Metis in Lotharingia celebratis antea decretum fuerat.

* *
*

FINIS.

21. Item Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas

Ex 1. Johannes & Catharina
Ex 2. Johannes & Catharina
Ex 3. Johannes & Catharina
Ex 4. Johannes & Catharina
Ex 5. Johannes & Catharina
Ex 6. Johannes & Catharina
Ex 7. Johannes & Catharina
Ex 8. Johannes & Catharina
Ex 9. Johannes & Catharina
Ex 10. Johannes & Catharina

In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas

FINIS

In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas
In nomine Domini Amen. Auctoritas